

61. Quod si enim hæc staret definitio, statim foret consequens, neque doctrinam Christi, neque Ecclesiam ab ipso collectam dici potuisse Catholicam: nunquã enim factum, ut ubique semper & ab omnibus ea fuerit recepta & approbata:

62. Consequens foret & illud, nihil magis Catholicum esse quàm impietatem & omnis generis vitia: ac malignantiũ Ecclesiam omnium maxime esse καθολικωτάτην: quippè quæ tam latè fermè patet, quàm patet ipse orbis.

63. Verùm communiõne sanctorum, & universali credentium amplexu definitur id, quod Catholicum dici debet: ac proin Catholica fuerit Ecclesia, congregatio sanctorum siue Electorum, qui fidei professione & Spiritus vinculo, quotquot in mundo universo vel nunc vivunt, vel aliquando vixerunt, sic in unum societatis corpus coalescunt, ut bono summo uno atque eodem vniversi participant, nulla interim vel loci, vel temporis, vel personæ habitãtione.

64. Minor propositio omni fide caret. Neque enim Idolomania Pontificia unquam totum terrarum orbem invasit. Occidentem quidem Papatus opplevit: Orientem autem nunquam occupavit, ne iis quidem temporibus, quibus fatiscere prorsus Orientale Christianorum imperium cepit.

65. Notum est, quo Laconismo olim Græci; Pontifici Romano Ioanni XXII. Græcarum Ecclesiarum

στράτην